





1786.

17. Kneissius, Iacobus Richterus : De electione in paluis  
alternativis non reo, sed pro dico, tribuenda.
18. Kindius, Ioannes Daniel : De obligacione mortis  
verum uxoris matris hereditis res alienum  
hereditarium dissolendi.
19. Pohlius, Christ. Tridens : De indebet juri iurandi  
in jure delati ejusque et sauvia vim.
20. Pfeilmann, Th. Lind. Ein : Miscellaneum et  
jus portamentum specimen III
21. Ray, Christianus : De litterarum investiturac causis  
et prima origine. Programma, quo orationem rationem  
indicit.
22. Ray, Christianus : De lege Mentis.
23. Richterus, Christ. Gottl : Specimen animalium et  
liuum de veteribus legum laboribus et T. Al-  
berti Fabrii bibliothecam Graecam. Programma,  
quo orationem auxiliaris in dictis.

1786.

24. Richter, Christ. Gottl.: *Oratio de intercuntis  
juri prudentiali humanioris causis.*
25. Richter, Christ. Gottl.: *Dere libaria in imperio  
Germanico ordinanda.*
26. Schwarz, Joannes Nicolaus: *De officiis vasallis  
Sexonicis in potesta*ta* i*nvestitura observandi.**
27. Segner, Joh. Theophilus: *De legibus post perfectam  
potestatis territorialis in Germania plenius dictis  
in genio populorum salubres economo dandis.*
28. Stoeckmannus, Augustus Cornelius: *Historia juri*s* last  
orci Spec. I.*
29. Tilsnerus, Joh. Gottlieb: *De peregrinach civis  
notione*
30. Windeler, Carl. Gottfr. de: *Supervisitas territorialis  
fons operarum senatus*rum* principia subdit*rum**

*debetarium*

31. Winkel, Gv. Taborius: Bellum tricennale  
muntab' o'rbus juri publici' facundum. M.F.

14. auctor, hunc libri volumen post primam  
et secundam editionem in eis admodum  
et dilatatione ampliata est. Et libri  
liberius et dilatatio

15. liberius. Namque libri volumen post dilatatione  
liberius et dilatatio

16. liberius. Namque libri volumen post dilatatione  
politeatis territorialis et secundum plenitudinem  
regionis populorum hanc etiam dilatatio

17. libri volumen post dilatatione  
liberius et dilatatio


18. libri volumen post dilatatione  
liberius et dilatatio

3 19. libri volumen post dilatatione  
liberius et dilatatio

4  
1786, 21.  
5

D E

LITTERARVM INVESTITVRAE  
CAVSSIS ET PRIMA ORIGINE



ORATIONI SOLEMNI  
QVA NOVVM MVNVS ADIBIT  
IN AVDITORIO IVRIS CONSVLTORVM

A. D. XX. DECEMBER. A. C. CIOCCCLXXXVI

HORA IX. RECITANDAS PRAEMISIT

D. CHRISTIANVS RAV

LITTERARVM INSTITUTARVM  
CLASSIS ET PRIMA ORIGINE

OCCASIONI SOLLEMNI

IN AUDITORIO IAVIS CONSULTORIUM  
QD NOVAM MUNUS ADDIT

1610. 1611. 1612. 1613. 1614. 1615.

1616. 1617. 1618. 1619. 1620. 1621.

D CHRISTIANA RUA

**Q**ui de litteris inuestiturarum peculiarem tractatum scripsit IOH. GOTTL. SIEGELIVS<sup>\*)</sup> Lipsiensis quondam Antecessor, in eo quamquam indolem et naturam atque effectum earum, nec non praerogatiuam, quin etiam ea, quae de illis interpretandis annotari merebantur, copiose explicuit, primordia tamen harum tabularum inuestigare haud studuit, nec exposuit causas, quae usum earum vel fuisse runt vel promoverunt. Nam quae capite II. de origine harum chartarum attulit, ostendunt tantum eam incertam esse, neque opinionem eorum, qui ad Friderici Barbarossae tempora praeclarri huius iustitiae initia referunt, satis probatam videri, sicut et exempla Curiarum clientelarum, in quibus tabulae tales aut plane non usitatae, aut certe sero demum introductae sunt. Vnde magnopere se sefellerit, qui existimaret, inquirenti in causas, cur tractu temporis literae inuestiturarum magis magisque frequentatae fuerint, otium a SIEGELIO factum esse. Prorsus enim haec vir doctissimus intacta reliquit, et originibus atque antiquitatibus huius rei indagandis immorari ei ne animus quidem fuisse videretur. Potiori tunc commendari meretur CHRIST. GOTTL.

A 2

BVDE-

a) *de litteris inuestiturarum, von Leibniz Briefen. Lips. 1739. in 4.*

## IV

BUDERI<sup>b)</sup>, IOH. GEORG. ESTORIS<sup>c)</sup> et IOS. LVD. ERNEST. PITTSMANNI<sup>d)</sup>. Viri illustris industria, qui varia nec vulgaris doctrinae ad eruenda prima litterarum inuestigatae initia in medium protulerunt. Verum nec nostras de hoc argumento cogitationes legisse fortasse curiosis harum rerum scrutatoribus iniucundum fuerit, praesertim cum simul caussas inuestigare decreuerimus, quae tabulis hisce in introducendis occasionem praebuerunt. Ac primum quidem tenendum est, litteras inuestigatae nullatenus simul cum feudis ortas, sed diu post et recentiori demum aetate introduetas esse. Nam antiquitus quidem apud Francos atque Germanos, a quibus in vniuersum magis, quam ab ullo alio populo feudorum instituta GEORG. CHRIST. GEBÄVERVS<sup>c)</sup> arcessiuit, cum militibus, praefectis, palatinis, iudicibus, et aliis ad varia reipublicae munera admotis, quos omnes tum Vasallos et Ministeriales promiscue appellatos fuisse, Capitularia Caroli M. a Perillustr. GEORG. LVDOV. BOEHMERO<sup>f)</sup> excitata luculenter probant, Regum ac procerum munificentia ius vtendi fruendi praediis ad determinatum tempus pro officio suscepto concederetur, quod beneficiorum nomine veniebat, cum feudis postea exinde enatis plane non confundendum, sicuti discrimin inter utraque LVD. ANTON. MYRATORIVS<sup>g)</sup> et modo laudatus BOEHMERVS<sup>h)</sup> diligen-

b) de antiquitate litterarum clementiarum ac de prerogativa et priuilegio quorundam Vasallorum nullas accipiendi tales tabulas, in Amoenitat. Iur. Feud. Num. XX. pag. 133.

d) in Observat. iur. feud. Lips. 1783. editis cap. 16. pag. 112.

e) in Diff. de originibus feudi quo vocem, qua rem non exterius sed geraniciis.

f) de feudis ex veterum Francorum beneficiis enatis §. IV. in Obs. Iur. Feud. Num. II.

g) Antiquit. Italic. Tom. I. Diff. XI. pag. 332.

h) e. 4. §. VI.

c) in Diff. de inaugurationsibus beneficiis harumque symbolis ac ritibus itemque de inuestigata sine litteris in vestiturae Marburgi 1744. et recens. ibid. 1746. 4.

diligerent excusserunt, non reperimus exhibitas tabulas suisse, quibus, sub qua conditione ac lege liberalitatis illius participes redditii erant, continebatur, sed probabile est, actum eiusmodi concessionis, certe ab illo tempore, quo in Germania coeptum res alicuius momenti litteris consignare, breuiter tantum et sine omni verborum solemnitate a notariis memoriae causa in scripturam redactum esse, ut noscent Principes, quibus talia beneficia praestitissent. Videor mihi hoc colligere posse e Capitularibus Caroli M. de ao. 812. in Capitul. III. cap. 7. apud STEPH. BALVZIVM<sup>1)</sup>, vbi sanctum est, ut non solum beneficia Episcoporum vel Abbatum, Abbatisserum atque Comitum sue Vassorum nostrorum, sed etiam fisci nostri describantur in BREVE, ut scire possimus, quantum etiam de nostro in uniuscuiusque legatione habeamus. Neque ab illo more opinor recessum esse, posteaquam beneficia haec sensim in feuda conuersa, primum ao. 877. per Caroli Calui sanctionem<sup>2)</sup>, quae Vassorum et Vasallorum filios beneficiis parentum ita honorauit, vt iis saltem vi nouae concessionis potirentur, deinde per Conradi Salici constitutionem Medioltani V. Calend. Jun. ao. 1037. emissam apud LVD. ANTON. MVRATORIVM<sup>3)</sup> et SENCKENBERGIVM<sup>4)</sup>, qua filiis Vasallorum ius succedendi in beneficiis militaribus certe (nam ministerialium beneficia pristinam naturam retinuerant) non tantum confirmatum, sed et ad nepotes et fratres simul extensum est. Etenim nec tum reperimus, Vasallis super beneficio impetrato datas fuisse inuestiture litteras, sed per tempus bene longum sufficiebat, inaugurationem hanc beneficiariam solemniter in Curia Parium et praesentibus eiusdem

A 3 clypei

i) in Capitular. reg. Francorum s. apud BALVZIVM tom. II p. 263.  
Tom. I Lib. III. §. 82. pag. 709.

et praesertim in addit. c. 3. p. 269.

l) Antiquit. Ital. Tom. I. p. 609.

k) in Capitular. ap. Carissacum c.

m) in Corp. Iur. Feud. pag. 432.

## VI

clypei ordinisque militaris testibus factam, atque a notariis, qui tum in causis clientelaribus quoque adhibebantur, paucissimis tantum verbis in breue, cuius vocabuli significatum CAROL. DV. FRESNE<sup>u)</sup>) copiose enodauit, annotatam esse. Docent hoc monumenta, quae passim a viris doctis collecta sunt, quorumque vnum alterumue iuvat apponere. Sic IOH. FRID. SCHANNAT<sup>v)</sup>, ex veteri Codice MScpto circa Ann. 940. sequentia reculit: *Haec mancipia praecepit Dominus Hadamarus Abbas Berne suo Vasallo tradere et Vineas et areas II. Vuolfrid, Eginhardt, Bosolf et vxor eius et filius et filia eius Hessa, Maehilt, Rumbrächt, Herigart, Diozea et eodem libro num. XI. p. 198.* ex veteri membrana incertae aetatis haec notauit: *Haec sunt loca in quibus Bernhardo Duci Beneficium praestitum est in Hamelo, et in Dissenlike VIII. mansi, quos tunc habuerunt Westilmann, Adelman, Tado, etc. ut alia eius generis exempla, quae apud IC. CHRIST. LUNIGIVM<sup>w)</sup> prostant, ne quidem commemorem. Confignabantur haec semper litteris latinis, id quod eo minus mirandum, quo magis constat, ista aetate omnes publicas tabulas, paucis quibusdam exceptis, ut pactum Virodunense, quo filii Caroli M. Ao. 843. regnum inter se diuiserunt, et quod germanice compositum esse IO. FRID. PEFFINGERVS<sup>x)</sup> tradit, latino sermone conscriptas, suisse que hoc idioma in Curiis clientelaribus tum visutissimum. Vnde etiam ea Regum Francorum Capitularia, quae varias tum obtinentes consuetudines feudales complectuntur, nec non paucas illas ad rem beneficiariam spectantes formulas a MARCVLO conservatas, ipsamque maxime celebrem illam a Conrado Salico propo-*

fitam

<sup>u)</sup> in *Glossario ad Script. med. et infim. Latini.*

<sup>v)</sup> in *Civiz. Fuldenf. Benef. in Cod. Probat. Num. I. pag. 190.*

<sup>w)</sup> in *Corp. Iur. Feud. Tom. I. p. 1678. seq.*

<sup>x)</sup> in *Vitrario illustrato Lib. 2. tis. 2. §. 8. note. n. pag. 58. seq.*

Itam constitutionem de expeditione Romana, quam cerre  
hui Imperatori 10. SCHILTERVS<sup>1)</sup>) et post eum alii erudi-  
tissimi viri vindicarunt, atque adeo sanctitas a Germanorum  
Regibus Ottone M. Henrico II. III. et V. Lothario et Frideri-  
co I. praesertim in Curiis solemnibus, quae in campis Ronca-  
licis<sup>2)</sup> habebantur, in caussis clientelaribus constitutiones  
hac lingua scriptas deprehendimus. Ut silentio nunc praec-  
teream leges ab aliis Imperatoribus de feudis promulgatas,  
quas omnes latinis litteris in scripturam redactas scriptores  
illius aevi testantur, licet caeteroquin certum sit, legibus his  
non Italos solum, sed et Germanos vivere iussos esse, pro-  
pterea, quod constitutio Friderici I. Imp. expresse hoc de-  
clarat verbis: *Firmiter etiam statuimus tam in Italia, quam Ale-  
mannia.* Et sane Clerici, qui tum in Cancellariis et Curiis  
dominabantur, cum in illorum temporum caligine soli litte-  
raturum et latini sermonis periti haberentur, tanto consultius  
hanc linguam retinuerunt, quanto magis ipsorum interesse  
oportebat, eam tanquam instrumentum ad amplificandam  
potestatem suam adhibere. Arcanum enim sacrae domina-  
tionis in eo latere, HENR. VAGEDESIVS<sup>3)</sup> egregie obserua-  
vit. Nam sic quidem nemo fere auctoritate eorum atque  
consilio carere poterat. Conferantur, quae de hoc argu-  
mento Parillus, GEORG. ERN. LUDOV. APREVSCHEN<sup>4)</sup>

copio-

r) in Comment. ad Ius Feud. Alem.  
Cap. VIII. §. 10.

s) cf. CHRISTIAN GOTTL.  
SCHWARZI profus. de curiis Ron-  
calicis Altorf. 1722. 4. et EL.  
AVG. HEILIGERI libell. singul. de  
Campis Roncaliacis habitaque ibi curiis  
sollitibus. Lips. 1752. 4. recens.

t) in Diff. de propagatione linguae  
Romanae profanae sacraeque domina-  
tionis arcano §. 4. in opp. p. 31.

v) in der Anmerkung von dem Ge-  
brauche der lateinischen und teutschen  
Sprache in den Lehrrechze und den  
Lehrbriefen, quam eruditam obser-  
vationem aus den Carlsruher nütz-  
lichen Sammlungen auf das Jahr 1758.  
XIX. und XX. S. 151. u. f. de promi-  
tani recudi curavit Vir illustr. AVG.  
FRID. SCHOTT im Juristischen Wo-  
chenblatte im ersten Jahrgange 1772.  
im IX. u. X. Stücke p. 156. seq.

## VIII

copiosus disputauit. Et videntur tamen Clerici adeo non-nunquam neglexisse actus tales inuestiture litteris consignare, quod vel inde patet, quoniam in libris Iuris Feudalis Longobardici passim refertur modus, quo qualitas feudalis, praeter instrumentum, probari possit, tum a Vasallo, cui propter defectum talis documenti difficultas obiecta demonstrandi, se aliquid feudi titulo accepisse, tum a Domino directo, cuius aliquis se Vasallum esse negat, ab eoque praedium sub feudi iure tenere insiciatur. Dicit enim Auctor compilationis consuetudinum feudalium *II. F. 2. §. 1.* et *II. F. 25.* qualitatem feudalem factamque inuestitaram, praeter instrumentum publicum super hoc actu consecutum, aut per Curiae pares aut per iurisiurandi delationem demonstrari posse. In quo priori loco, ut hoc obiter notem, per instrumentum non, ut a quibusdam perperam factum, litterae inuestiture intelligendas sunt, cum haec sint longe recentioris aetatis. Videtur enim ibi tantum sermo esse de unaquavis scriptura et quolibet documento super inuestitura probationis causa composito maxime a tabellionibus, qui tam talia instrumenta conscripserunt. Initia eorum ab Italis arcessiuit et usum deinceps in Germania quoque introductum e multis chartis ac diplomatis *IO. GEORG. ESTOR*<sup>v)</sup> probatum dedit, allatis simul luculentissimis exemplis, quorum auctoritate euincitur, superesse etiamnum vestigia huius vestigi moris, quo Vasalli litteras inuestiture haud impetrarunt, sed rati, solam inuestitram ad possessionem adipiscendam utileque dominium acquirendum sufficere, tabellionis tantum instrumentis super actu inuestiture conscriptis contenti fuerunt. Caussas, cur Vasallis olim super beneficio concessio litterae clientelares aut plane non, aut certe rarissime datae

v) *c. l. cap. III. §. 74. et cap. VI. §. 72. et 73.*

datae sint, viri docti varias attulerunt. Ac NIC. HIERON. GVNCLINGIVS<sup>w)</sup>) quidem eas arcessuit a simplicitate Germanorum et symbolorum vsu, quibus vti aliarum conuentionum, ira feudalis quoque contractus, quo certior ac firmiter obligatio esset, fidem munuerunt, quae maiorum nostrorum instituta, HVG. GROTIO<sup>x)</sup> obseruante, aliis quoque gentibus tantopere placuerunt, vt ea recipere ac retinere nullatenus dubitarent<sup>y).</sup> IAC. CAROL. SPENERVS<sup>z)</sup> autem caussas has partim in eo quaerit, quod, cum feuda olim et beneficia reuocabilia fuerint, haud necesse fuisset super iis concessis inuestiturae litteras exhiberi, partim in iure iurando fidelitatis, quod maius habitum esse dicit, quam scripta testimonia, et in probatione inuestiturae ex aliis monumentis v. c. e. fisci indicibus petenda, partim in obligationibus Ducum et Comitum, certe quam diu his officia in feudum data sunt, per Imperii iura iam determinatis, et quia feuda ipsorum iam aliunde nota fuerunt, partim etiam in eo, quod iusurandum et seruitia a Vasallis praestanda tam accurate in beneficiaria conuentione constituta fuerunt, vt ne vllis quidem dubitationibus ac litibus iura ac obligationes inde oriundae subiacere posse viderentur. Quas inter caussas litterarum inuestiturae olim non visitatarum, tametsi facile largior, has ipsas fuisse, videtur tamen et adhuc alia neque fortasse leuis momenti caussa illis prioribus insuper addi posse. Est haec potissimum quaerenda in Curia parium, quam ex primaeua Germanorum libertate et antiquo more consultationes de republica instituendi, perinde ac iudicia in populi conuentibus exercendi ortam, ipsasque inter feudo-

w) in Gundlingian. Part. VII. pag. 174. et 177.

x) de Iur. bell. et pac. cap. VIII. §. i. num. 2.

y) EVER. OTTO in Iurisprud. Symbol. exercit. I. cap. XI. pag. 61.

z) in Iur. Publ. Germ. Part. III. L. II. cap. 9. pag. 127.

feudorum instituta, maxime ex quo haec in beneficiis Francorum introducta hereditaria successione sunt enata, efformatam, atque deinde Conradi Salici Imperatoris lege confirmatam insimul esse IO. IAC. MASCOVIVS<sup>a)</sup> pluribus probauit. Coram hac enim Curia, quemadmodum omnes caussae feudales Domini directi et Vasalli aut Vasallorum inter se tractabantur I. F. 18. II. F. 16. 20. 32. 34. 55. ita ipse etiam inuestiendi actus in ea sub dio multorum in conspectu suscepitus est, id quod luculenter appareret ex verbis II. F. 58. §. 1. Quod autem pares tantum debent inuestiturae feudi interesse, et non alii: hoc tantum verum est, cum dominus alios Vasallos habuerit. Duo enim in primis genera caussarum paribus reservata fuerunt, inuestiturae et iudicia. Et sane ad inuestitutram tam necessaria visa est illorum praesentia, ut non aliter nisi per pares probari posset, neque in controv ersia super illa alii testes admittentur. Nam I. F. 20. expresse dicitur: si contentio fuerit inter dominum et fidem de inuestitura feudi, per pares Curiae dirimatur: alii enim testes eti idonei sint, admittendi non sunt. Parium autem fidem ideo electam nouimus, quod ea nihil praestantius habebatur, et quod sive riori in rem Domini et Curiae ipsam affectu esse prae sumebantur seduloque curaturi, ne surripi temere aliquid posset. Vnde et adeo oportuit eos simul sub inuestiturae instrumen to nomina sua ponere, quemadmodum aliis Imperatorum, Regum et Principum diplomatis subscriferunt, de quibus subscriptionibus MABILLONIUS<sup>b)</sup> egit. Rem totam conficiunt verba II. F. 58. Idecirco pares necessarii sunt in instrumento inuestiturae, et non alii: ne quid extogitetur falsitatis in perni-

a) in Diff. de Paribus Curiar. §. VIII.  
et IX. cf. etiam de origine Parium  
HENR. MARD. DV HAILLAN in Tract.  
de l'Etat des affaires de France p. 396.

b) de re diplomatica. Lib. II. cap.  
21. §. 12. et cap. 22 vbi maxime de  
moribus Germaniae disseruit.

perniciem domini alii testibus induxit, corruptis forte pecunia,  
vel odio, vel gratia: quae non suspicanda in paribus. Pertinent  
etiam huc, quae de necessaria Parium Curiae in inuestituris  
praesentia dicta sunt in VET. AVCT. de Bentf. §. 21. 47. 48. seq.  
in IVR. FEVD. SAXON. cap. 5. et 7. nec non in IVR. FEVD.  
ALEMAN. cap. 10. 11. 12. 27. et 28. Et si vero mos ille inue-  
stituram peragendi postea quoque retentus fuit, ita ut ho-  
diendum, licet ipsa illa Curia parum in desuetudinem abierit,  
nisi ex speciali prouinciae obseruantia aliquibus in locis ad-  
huc serueretur, quemadmodum praeter alios GOTTL. AVG.  
IENICHEN<sup>c)</sup> et GODOFR. DAN. HOFFMANNVS<sup>d)</sup> docue-  
runt, in iudicio feudal, quod speciem priscae illius Curiae  
quodammodo resert, inuestituras conserfi videoas: sensim  
tamen deinceps inualuit, vt Vasallo super inuestitura de be-  
neficio facta etiam peculiares litterae clientelares exhiberen-  
tur. Atque his quidem introducendis, quaenam caussae  
occasionem praebuerunt, cum non reperiā ab eruditis vi-  
ris notatum, praeterquam quod PREVSCHENIVS c. 7. obser-  
vet, animaduersum esse, memoriae caussa melius fore, si  
super concessa inuestitura diploma Vasallo daretur, ab eoque  
vicissim super illius traditione cautio acciperetur, vt ideo sic  
clientelares litterae perinde ac feudi reuersales ortae essent,  
iuuat adhuc in caussas illas pluribus inquirere. Ac primum  
quidem ipsa necessitas tam Dominis directis tum Vasallis vi-  
detur suauisse, vt, cum inteligerent pedetentim solos hacte-  
nus visitatos modos ad probandum beneficiariae concessionis  
actum, demonstrandaque accurate omnia ac singula, de  
quibus in negotio hoc feudali conuentum erat, haud suffi-  
cere, magis solliciti essent de excogitandis aliis rationibus,

B-2

qui-

*mufec*  
c) de usu bodierno parium curiae  
in iudicis German. feudalibus,

d) de usu moderno iudicii parium  
curiae Würtenbergici.

quibus memoria talis rei, quae profecto magni momenti  
habebatur, melius conseruari posset. Nam ex quo benefi-  
cia illa vetera plenam feudorum naturam consecuta erant, in  
controversia, quam fortasse post tempus bene longum de  
inuestitura feudi et iuribus obligationibusque inde oriundis  
Dominus et Vasallus sibi inuicem mouissent, sane difficile  
erat aliquid per Curiae pares probare. Qui enim actui in-  
vestiturae tum interfuerant, aut mortui esse, aut qui ex eis  
adhuc in viuis erant, illius rei quippe iam dudum factae  
non amplius meminisse poterant. Neque fortasse ipsi filii  
parium Curiae et in vniuersum posteri de beneficiaria hac  
largitione et paclis in ea conuentis relatum quicquam a pa-  
rentibus et maioribus audire potuerant, de quo in Curia,  
coram qua lis pendebat, interrogati testimonium dicere de-  
bebant. Nec Dominus directus, cuius a patre aut a maioribus  
Vasallus eiusque descendentes inuestituram impetraver-  
ant, scire, quae tum acta essent, aut si forte sciueret, te-  
stimonium tamen de iis diicere non poterat, quippe quod in  
propria causa eiusque ipsa iura concernente reiiciendum erat.  
Deinde nec per instrumentum inuestiturae, si vel maxime,  
vt tum et posterioribus adhuc temporibus fieri adsolereret, a  
tabellione compositum esset, valide semper probari poterat  
id, de quo in lite oborta quaerebatur. Illud enim, quem-  
admodum ex allatis ab ESTORE <sup>c)</sup> exemplis perspicimus,  
tum nondum sic confici moris erat, vt cuncta, quae in in-  
vestitura obuenerant, expresse in se contineret, quibus ad  
mutuas obligationes et iura Domini et Clientis commode  
exinde demonstranda opus esset. Itaque incepérunt scribere  
peculiares inuestiture litteras, quo aliquando in disceptatio-  
ne super feudo orta Domini et Vasalli securitati melius pro-  
spectum

<sup>c)</sup> c. I. cap. III. §. 46—48.

spectum videretur, neuterque in iuribus suis detrimentum sentiret. Accessit insuper alia neque exigui momenti causa, quae profecto institutum hoc haud parum reddidit necessarium. Cum enim sequiori aetate in uestitura a feudorum natura magis recedere solerent contrahentes feudi qualitates iure feudalii determinatas, quas naturalia interpretum consuetudo vocat, vel immutando vel specialius determinando, ab eo vero, qui contendit, feudum improprium eiusque naturam vel auctam vel imminutam esse, probatio suscipienda, neque haec ipsa aliunde melius, quam e litteris uestiturarum peti posset, profecto non mirum debet videri, Vasallos, quo facilius demonstrarent, communem feudorum rationem immutatam esse, statim peracta uestitura de expetendis impetrandisque talibus litteris prudentissimo fane consilio et olim iam vehementer sollicitos fuisse, et etiamnum esse, propterea quod eae omnino caussis feudalibus celerius decedens inseruunt, adeoque primum hodie locum inter clientelares leges tenent, ad quarum normam controuersiae de feudo obortae diiudicari ac dirimi queant. Nescio an adiiciam, morem quoque iam tum visitatum et postea magis inualecentem, quo iis, quibus donationes insignes factae, diploma sollempne exhiberetur, quod contineret omnes prerogatiwas ac iura cum hisce largitionibus coniuncta, quales donationum chartas ecclesiae in primis atque monasteria permultas ostendere possunt, Vasallos permouisse, ut ipsi etiam ob feuda acquisita, quo iuribus in illa competentibus melius ac securius fruerentur, eiusmodi litteras sibi quam primum tradi curarent. Sed videamus etiam, quando Vasalli primum tales tabulas uestiturarum acceperint. In Curiis clientelaribus ecclesiarum prius, quam in secularium Principum eiusmodi litteras introductas esse, caeterum tamen ante seculum XII. vix quasdam accurate compositas proferri posse

PREVSCHENIVS obseruat. In Italia potissimum chartam quandam de *anno 1213.* a LVD. ANTON. MVRATORIO<sup>f)</sup> editam, qua Hildebrandus Comes Palatinus in Tuscia Manto Guilielmi filio castrum Batiniani in feudum concessit, antiquissimum documentum litterarum inuestitureae, quod typis expressum sit, in se continere Vip. Clari PHILIP. WILH. GERKEN<sup>g)</sup> contendit. PVITTMANNVS<sup>h)</sup> autem Vir illustris, quod ad Italiam attinet, longe antiquius huius rei monumentum ex eodem MVRATORIO<sup>i)</sup>, et quidem chartam in memoriam inuestitureae ab Innocentio III. peractae, qua *anno 1207.* Comes Hildebrandinus adhibito cuppae argenteae (i. e. poculi argentei) symbolo inuestitus est, concinnatam edidit. Prostant etiam tabulae apud IO. CHRIST. LUNIGIVM<sup>k)</sup>, quibus Imperator Otto IV. *anno 1210.* Azonem Marchionem Estensem de Marchia Anconitana inuestiuit. Nec minus legitur apud FERDIN. VGHELLVM<sup>l)</sup> diploma ab eodem Imperatore conscribi iussu, quo Petrum Asculanum praefulem regalibus Asculanae Ecclesiae cum Comitatu eiusque viuferis pertinentiis, cum omni honore, et iurisdictione, imperiali excepto, *anno 1209.* inuestiuit. At videntur tamen ipsa iam seculo XII. in Italia indubitate fidei exempla tabularum inuestitureae, allatis quidem illis documentis longe antiquiora occurrere. Statim enim chartam illam sub Imperio Lotharii II. *anno 1130.* 7. mensis Iulii datam, qua Qualterius Ec-

<sup>f)</sup> in Thes. Antiquit. Ital. med. aet. Tom. I. pag. 389.

kunden und Siegen erlaenert Hamb. und Leipz. II. Tom. 1771, et 1777 in 8, Tom. II. Num. V. §. 1. lit. c.)

<sup>g)</sup> von der verschiedenen Bedeutung der Worts Testamentum in alten Ur-

kunden und bey den Geschichtsschrei-

bern der mittleren Zeit, in den ver-

mischten Abhandlungen aus dem Leben

und deutschen Rechte, der Historie u.

f. w. mit Archivalischen Original-Ur-

pag. 123.

<sup>h)</sup> in Advers. Lib. II. p. 15. et in

Olfernat. Lur. Fend. cap. XVI. p. 15,

i) v. l. Tom. I. pag. 614.

<sup>j)</sup> in Cod. Ital. diplom. Tom. I.

pag. 156; ibidem pag. 112.

<sup>k)</sup> Tom. I. Italiae sacrae pag. 462.

clesiae Rauennatenis Archiepiscopus Illustrissimo Comiti Ca-  
valcaconti castrum Brittoniorum locauit atque concessit, cu-  
ius rei HIERONYMVS RVBEVS <sup>m)</sup>) meminit, LVD. ANT. MVR-  
ATORIVS <sup>n)</sup>), apud quem typis perscripta exstat, ESTOR <sup>nn)</sup>)  
atque IOH. IAC. MASCOVIVS <sup>o)</sup>) numero litterarum inuestitu-  
rae habuerunt. Dubium quidem adhuc videri posset, utrum  
castrum hoc vere in feudum datum sit. Nam certe verba  
beneficium, feendum, inuestire in his litteris non occurunt.  
Nec castrum hoc Gualterius Caualcaconti alia ratione largi-  
tus esse, quam concessisse tantum et locasse pro pensione qua-  
dam dicitur, ipsumque negotium in charta hac locatio ex-  
presso vocatur. Vnde id magis ad hoc genus conuentionis,  
quam ad beneficiariorum contractum regulerim. Quamquam  
enim illic mentio facta est nonnullorum, quae caeteroquin  
etiam in feudi constitutione locum habent, veluti transmis-  
sionis castri huius ad masculos tantum heredes, promissio-  
nis fidelitatis, praefationis seruitiorum militarium, et post  
mortem fidelis armorum illius et equorum in manus domini  
restituendorum: tamen pleraque horum etiam locum habe-  
re potuerunt in bonis alia conditione, quam feudi titulo  
concessis, praesertim quod successionem et praefationem ser-  
vitiorum militarium attinet, cum Illustris IO. STEPH. PVIT-  
TERVS <sup>p)</sup> probauerit, praecipuas successionis normas in al-  
lodii non minus, quam in feudis uniformes obseruatæ esse,  
et virisque inde a pristinis temporibus seruitia militaria in-  
haesisse. Quicquid vero horum sit, (nihil enim certi defi-  
nire:

<sup>m)</sup> Histor. Ital. et Rauennatenf.  
Lib. V in IO. GEORG. GRAEVII  
ET PETR. BVRRMANNI Theſ. An-  
tiquit. et Histor. Ital. pag. 31.

<sup>n)</sup> in Theſ. Antiquit. Ital. med.  
aenei. T. I. p. 633.

<sup>nn)</sup> c. I.

<sup>o)</sup> de iure Feudor. cap. VII. §.  
29. 3).

<sup>p)</sup> Prim. Lib. Iur. Princ. Prin-  
cip. Lib. I. cap. I. §. 10.

nire audeo) videtur saltem hoc etiam documentum adduci posse ad probandum, inuestiturae litteras iam tum usitatas fuisse. Et si vel maxime chartam hanc numero litterarum inuestiturae super locatione habere velis, quippe quae etiam per inuestituram fieri poterat, cum haec in allodis non minus, quam in feudis locum inuenierit, quemadmodum <sup>10A.</sup> BVRCH. VERPOORTENIUS pp) peculiari libello demonstravit: nihilo secius tamen concedi oportet, alias adhuc vetustiores longe litteras inuestiturae de feudis factae in Italia occurrere, quam sunt eae, quas modo laudati Viri docti memorauerunt. Sic enim extant iam litterae beneficiariae, quas Vbertas Pisanius Antistes anno 1135. conscribi iussit, nec non aliae, quas Adrianus IV. Pontifex <sup>ao.</sup> 1157. Comitibus Aldebrandino et Bernardino dedit, vtraeque a MVRATORIO <sup>q)</sup> exhibitae, et ab ESTORE <sup>r)</sup> laudatae, qui etiam non solum usum tabularum clientelarum sub Friderico I. Henrico VI. Philippo, Ottone IV. Friderico II. Alfonso Castiliano, Richardo, Rudolpho I. Adolpho Nassouio, Alberto, Carolo IV. Wenceslao, Sigismundo, Alberto II. et Friderico III. qui tum ipsi, tum iis imperantibus alii Pontifices, Praefules et seculares Principes Vasallis suis eiusmodi litteras super inuestitura exhibuerunt, copiose ex illorum temporum monumentis multisque chartis ac genuinis diplomatis probauit, sed et originem harum litterarum inuestiturae in Hassia e seculo XIII. sub Friderico II. Imp. repetit. Nec tamen existimandum est, in universum vestigia litterarum clientelarum antiquiora plane nulla reperiri praeter ea, quae in Italia comprehendimus. Occurunt profecto alibi exempla talium tabularum

pp) de inuestitura allodiorum eius.  
demque originibus usu et auctoritate  
præfente.

q) in Thes. Antiq. Ital. med. acti  
Tom. I. p. 707. et p. 631.  
r) cit. Diff. §. 50.

larum longe vetustiora. Ut enim iam nihil dicam de litteris clientelaribus, quibus Philippus Francorum Rex *ao. 1092.* Rotomagensi Archiepiscopo quaedam in feudum largitur, seruitorum loco praesentiam eius in curia et placitis pactus, et de aliis, quibus idem Philippus *ao. 1118.* Theobaldum Campaniae Comitem in clientelam ligiam recipiens vicissim iurat, se eum contra omnes homines defensurum esse, quod vtrumque documentum CHRIST. HENR. SENKENBERG<sup>5)</sup> ex FABRO exhibuit, et Vir Illustr. PVITTMANNVS<sup>6)</sup> laudavit: dudum a viris doctis obseruatum est, in Germania iam sub Imperatore Henrico IV. inuestituram litteris mandatam esse, propterea quod ANNALISTA SAXO<sup>7)</sup>, vbi de inuestitura Henrici Crassi Nordheimii Marchionis Frisiae agit, tanquam singulare quid notat, eam scripto comprehensam fuisse. Placet hoc loco integra Annalistae verba, quae et MASCOVIVS<sup>8)</sup> iam commemorauit, transcribere, quia titulum nobis simul indicant, quem ad occupandam Frisiam Henricus habuit, inuestituram scilicet ab Imperatore Henrico IV. sibi datam. Inquit autem tragicum vitae eius exitum ad *An. 1107.* commemorans: *Heinricus Crassus potentissimus Saxoniae Comes gratiam Imperatoris adeptus Marchiam Fresiae ab Imperatore in beneficium suscepit, sicut fertur, etiam per TESTAMENTVM scripturae. Qui profectus in Fresiam possidere comitatus eiusdem provinciae, pertinentes prius ad Traiectensem Episcopatum, a milibus Traiectensis Episcopi et a vulgaribus Fresonibus, quibus dominationis suae iugum graue fuit, obsequium expectans eorum insidiis vallatur, re quoque cognita fugiens ad mare, vulneratur*

s) in Append. prim. lin. Iur. Feud. num. 1. et 2.

u) apud ECCARDVM in Corp. Med. aevi Tom. I ad an. 1101.

t) in Obseru. Iur. Feud. cap. 16. p. 117. Henrico IV. et V. Lib. II. §. 34. pag. 124.

## XVIII

neratur a nautis, simus et suffocatur. Annalista nempe, dum Henricum etiam per testamentum scripturae Marchiam Frisiae ab Imperatore in beneficium suscepisse ait, nihil aliud vult, nisi hoc, Imperatorem non solum in corona Principum praesentem praesenti Henrico Marchiam Frisiae in feudum contulisse, sed etiam praeter stilum Curiae eum per litteras inuestiuisse, ut documentum haberet, quo Frisiis probaret, terram eorum sibi in beneficium collatam esse. Testamenti enim nomen, quo Romano stilo ultima cuiusque hominis voluntas appellatur, quia si in scripturam redacta, testium signis et nominibus firmatur, scriptores medii aevi ipsique diplomatum consarcinatores transfulerunt ad omne genus instrumentorum publicorum et priuatorum, quibus testium, qui negotio, de quo agitur, interfuerunt, nomina subscripta sunt, ut innumeris exemplis e chartis veteribus petitis illustrari possit, si quidem esset, qui latinitatis medii aevi ignarus hac de re dubitarer. In ipsa confirmatione donationum ab Adelberto Archiepiscopo Moguntino Cateleburgensi Monasterio factarum vocem testamenti hoc sensu occurere, ut quodcumque documentum publicum denotet, obseruauit, qui has Adelberti donationis litteras, corrupte antea a IO. FRID. PFEFFINGERO <sup>w)</sup> iuniore editas, correctiores ex ipso autographo Archivi Regio Electoralis protulit IO. DAN. GRUBERVS <sup>x)</sup>; et alias chartas, in quibus vocabulum hoc litteras fundationis, confirmationis, donationis emptionis venditionis, declarationis et designationis significat, is, qui ex instituto de illius significatu disputauit, PHIL. WILH. GERCKENIVS <sup>y)</sup> adduxit. Atque haec quidem

w) Tom. I. Histor. Brunsuicenf.

y) c. I. Tom. II. p. 122, 124, 125.

pag. 592.

et 126.

x) Origin. Guelfic. Tom. IV. p. 345.

dem antiquissima litterarum inuestiturae in Germania certe memoria est, qua vetustiorem non occurrere ipse GRVBERVS diligentissimus veteris acui monumentorum scrutator animaduertit. Quamquam enim alio loco<sup>2)</sup> scripsit, sibi ha-  
cenus antiquiores inuestiturae litteras non obuenisse, quam quae ex initio seculi XIII. essent, mutauit tamen postea sententiam, atque inuestitaram Henrici Crassi de Marchionatu Frisiae scripto comprehensam pro veruissimis in Germania litteris inuestiturae habuit, cui etiam ea in re Perillustr.  
BOEHMERVS<sup>3)</sup> et GERCKENIUS<sup>4)</sup> suffragantur. Verum enimnuero alia omnia IO. IAC. MASCOVIUS<sup>5)</sup> censuit. Is enim posteaquam commemorauit, de Henrico IV. ut singu-  
lare quid relatum esse in litteras, quod Henrico Pingui Nordheimio, inuestitaram Marchionatus Frisiae scripto de-  
dit, in nota subiecta 4) haec addit. „Habemus tamen et  
„testimonium antiquias apud DOMNIZONEM<sup>6)</sup> in vita Ma-  
„rthidis Comitissae Lib. I. cap. 2. vbi inuestitaram ab Impera-  
„tore Conrado Salico Bonifacio Marchioni Tusciae datam  
„describit.“ DOMNZO nempe, vbi praestitam *ao. 1037.*  
Conrado Salico in oppugnatione Parmensis ciuitatis a Mar-  
chione operi collaudat, apte simul veteris pacti feudalis tum  
initi formulam exprimit his verbis:

*Imperium seruans Conradus eumque gubernans  
Cognoscit vere plus cunctis posse valere*

C 2

Mirif.

2) in der Nachlese von der gesam-  
ten Hand, abfördertlich in den Landen  
Südlichen Rechten in C. F. ZEPER-  
NICKI Viri illustr. Sammlung aus-  
erles. Abhandl. aus dem Lehn-Rechte,  
P. I. p. 107.

a) *Princip. Iur. Feud.* Lib. I. Segt.  
I. cap. 6. §. 114. a.)

b) c. l. Tom. II. Num. V. §. 1.  
lit. c. p. 123.

c) in *Comment. de Reb. Imp. sub*  
*Henrico V.* Lib. III. §. 54 pag. 232.

d) ap. LEBENITIVM Tom. I.  
Script. Brunsvicens. pag. 648.

Mirificum, clarum, generosum, saepe relatum  
 Athletam magnum Bonifacium venerandum,  
*Vt iuraret ei, rogat ipsum, more fidelis;*  
*Ac ideo dixit, quod Marchio seruit ipsi*  
*Redderet atque vicem iurandi Rex sibi, quippe*  
*Annuit hoc Regi Bonifacius, atque peregit,*  
*Voceque mox via iuravit Rex sibi vitam,*  
*Atque suos artus, et honorem Principis aptum*  
*Absque dolo recta seruare per omnia semper,*  
*Donec eis vita subsisteret, hoc ita firmant.*  
*Nullus dux vnguam meruit tam foedera culta,*

## IN CHARTA SCRIPTVM IVSIVRANDVM FVIT ILLVD.

Itaque ex hoc loco et potissimum ex ultimo eius versu MASCOVIS probari posse purat, iam Conradum Salicum Bonifacio de Marchionatu Tusciae inuestito litteras inuestiturae deditisse. Ac negari quidem plane non potest, hunc locum de beneficiali vinculo inter Conradum Salicum et Bonifacium nexo intelligi debere. Quamuis enim dubium adhuc vide ri posset, num verbum *fidelis*, quod ibi occurrit, et charta apud FERDIN. VGHELLVM<sup>e)</sup>, in qua Conradus Bonifacium fidelissimum Marchionem appellauit, sufficerent, ad demon strandum, eo in loco sermonem de clientelari negotio esse, cum alias tam late apud Francos atque Germanos patuerit *fidelium* nomen, vt olim commune subditorum, ministerialium et Vasallorum esset, quod magno apparatu testimoniorum veterum hunc significatum illustrantium LOVIS CHANTEREAV LE FEBR<sup>f)</sup> probauit, nec statim vocabulum *foedus* in versu penultimo obuium de obligatione Dominum inter et Vasallum contracta semper capiendum videatur, cui quippe

e) Tom. III, Ital. Sacrae pag. 80.

f) des Fiefs et leur origine pag. 280, seq.

quippe inest vis tam generalis, vt quamquinque inter duas pluresque personas coniunctionem singulari fidelitate muniam denotet: suppetunt tamen argumenta aliunde adhuc petit, quorum auctoritate valide demonstrari possit, hunc locum necessario de investitura feudi Marchionatus Tusciae, quam Imp. Conradus Salicus Bonifacio concessit, explicari oportere. Pronocat enim FRANC. MARIA FLORENTINVS<sup>g)</sup> ad tabulas, quae apud SILINGARDVM<sup>h)</sup> prostant, quibus Ingo Episcopus Mutinensis *ao. 1034.* Bonifacio eiusque conjugi Richildi duo castra tradidit, in quibus ille iam Marchio et Dux Tusciae appellatur. Hoc certe argumento *10. IAC. MASCOVIVS<sup>hh)</sup>* probabile reddidit, Bonifacium Tusciae Marchionatum, vt feudum regni Italiae habuisse. At vero ex verbis DOMNIZONIS: *in charta scriptum iuriandum fuit illud*, nemo profecto, qui genuinam litterarum inuestiturae notionem haberet, neque ignorat, sub his intelligi instrumentum, auctoritate Domini directi confectum de his, quae ad inuestituram pertinent, assertere temere audebit, inuestituram Bonifacii litteris mandatam esse, cum exinde tantum appareat, iuriandum a Marchione illo et a Rege mutua vice praefitum scripturae traditum esse. Multo autem minus probabuntur, quae fortasse aliquis de litteris inuestiturarum ipso Conrado Imp. antiquioribus et iam ante feuda hereditaria effecta visitatis comminisci vellat, cum asserti talis nulla plane idonea ratio reddi posset. Quae cum ita sint, haud dubie opinio de prima talium tabularum origine Henrici IV. imperio adserta, saltem quod Germaniam attinet, hactenus inconclusa stabit, nec MASCOVII argumento su-

C 3

pra

g) Memoria di Marhilda Lib. p. 25.  
h) de Episcopis Mutinensibus in vita  
Ingonis.

hh) in Exercit. de iure imperii in  
magnum ducatum Etruriae Sect. I. §.  
6. nov. g.) pag. 6.

pra refato debilitata fuit atque fracta. Neque tamen ideo existimandum est, Vasallos inde ab eo tempore omnes, ac semper clientelares litteras acceperisse, cum inuestirentur. Erant sane illae nondum statim ab initio sic visitatae, quemadmodum postea fuerunt. Vnde haud dubie nondum probata est sententia CHRIST. SCHLEGELII<sup>1)</sup> contendens, a Lothario II. Saxone Imperatore Ludouico I. Landgrauio Thuringiae, cum huic Principatum Thuringiae et annexa regalia ac dynastias cum festiva vexillorum exhibitione, quae ad mores illius aeu*i* sub dio facta, conferret, codicillos investiturae datos esse. Quod enim scribit: *multum sane hoc faceret, si Ludouici I. Landgrauii diploma feudale adhuc extaret, quo multa hactenus controversa possent tolli, quod tamen magis ab iis, quorum non intererat superesse, sublatum, quam easu perisse creditus, id quoniam Albertus Staderensis, Chronicum Gozencense, appendix Poloni, Annales Erfordienses omnesque alii veteres Thuringici scriptores silentio praeterierunt, solius tantum inuestiturae actus mentionem facientes, et quia diploma hucusque nondum in vlo tabulario repertum, reatissime in dubitationem vocavit et confutavit vir rerum Saxoniarum peritissimus IO. GOTTL. HORNIVS<sup>k)</sup>, cuius sententiae etiam video CHRIST. GOTTL. BYDERVM<sup>l)</sup> accessisse. Sic nec a Friderico I. Ahenobarbo nouis Regni Germaniarum Vasallis Bogislao, et secundum quosdam Casmiro supremis antea Pomeranorum Slavorum principibus, villas litteras clientelares fuisse datas, propterea quod earum autographa frustra ad hodiernum usque diem a viris doctis quaesita sunt, ALBERT. GEORG. SCHWARZIUS<sup>m)</sup> suspicatur.*

<sup>1)</sup> in Diff. de nummis Isenaciensi  
bus pag. 77.

<sup>k)</sup> in Bibliotheca Saxonica verna-

<sup>l)</sup> c. l. iii Amoen. Iur. Feud. p. 153.

<sup>m)</sup> im Versuch einer Pommersch- und Rügianischen Lehr-Historie. P. I.  
culo sermone edita p. III. pag. 272. p. 14. seq.

tur. Quod manifestum proposito indicium est, eas tum non magnopere visitatas fuisse, quod et clarus ostendit BVDE-RVS l. c. verbis scriptoris *der Isenburgischen speciei facti contra Gelhausen pro iure venandi p. 9.* vbi de litteris inuestiturarum illustrissimorum Comitum Isenburgorum exponit, quae sic habent: Zu Friderici I. Zeiten waren die Lehn-Briefe noch nicht so gar sehr im Schiange und Gebrauch, sondern man erwiese die Lehn-Sachen mehr durch Zeugen als Briefe: und deswegen mussten zu den Zeiten die Pares Curiae denen Belehnungen beywohnen, damit sie bey den strittigen Faellen zeugen kunder, wie solches zu ersehen ist in *Iure Feudali Alemanno, Saxonico et Autore vetere de Beneficiis*, quorum locos nosmet ipsi iam supra excitauius. Vnde etiam perspicuum est, cur non nullae adeo antiquae et fere primariae illustres Germaniae familiae litteras clientelares, quibus earum maiores primi de Ducatibus ac Principatibus suis inuestiti sunt, proferre plane nequeant, quod, praeter exempla modo commemorata, BVDERVS etiam de Domo Saxo Lauenburgica adductis simul scriptoris libelli in causa successionis Lauenburgicae propositi<sup>a)</sup>) verbis obseruauit, et nosmet ipsi de Domo Bauarico Palatina notamus, cuius beneficiariae litterae primo huius familiae conditori Ottoni Comiti Schirensi et Comiti Palatino de Wittelsbach ab Imperatore Friderico I. de Ducatu Bauariae inuestito datae, si quas forte naclis est, (haud enim certo id dici potest) plane non extant, saltem haec tenus erui a litteratis hominibus atque inuestigari nondum potuerunt, id quod tamen certissime aut a scriptoribus historiae Domus Guelficae huius inuestiturae Ottoni a Wittelsbach

<sup>a)</sup> in der gründlichen Anzeige wa- sen etc. das erledigte Herzogtum zum Herzogin Eleonorae Charlottae zu Nieder-Sachsen und Erbland Hadeln Schleswig-Holstein gebohrner zu Sach gebühre p. 19. et 14.

Wittelsbach de Ducatu Bauariae factae mentionem iniicientibus<sup>o</sup>), aut a BVDERO<sup>p</sup>) effectum fuisset, si litterae hae clientelares adhuc existerent et proferri potuissent. Nam primas quidem et antiquissimas inuestituras litteras, quas Domus Wittelsbacensis tenet, eas esse, quas Ludouicus de Bauariae Ducatu ab Imperatore Ottone IV. inuestitus *ao. 1208.* Francofurthi accepit, editas illas a JOSEPHO ANTON. AETTENKHOVERO<sup>q</sup>), Illustrissimus WIGVL. ALOYS. L. B. a KREITMAYER<sup>r</sup>), annotauit. Nec debet profecto quisquam mirari hunc litterarum inuestiturae defectum. Rariores enim tum earum expeditiones, quam recentioribus temporibus fuisse, exemplis admodum illustribus BVDERVS<sup>s</sup>) iam probauit, qui etiam simul ex LUNIGIO<sup>t</sup> obseruat, Hol-satiae Duces insignis Feudi imperii dominos ante tempora Caroli V. Imperatoris nullas accepisse litteras augustales feu-di collati testes, neque enim Episcopum Lubecensem Imperialem quandam in negotio inuestiturae Commissarium tales dedisse. Alia exempla inuestiturarum, in quibus Vasallis codicilli clientelares non dati sunt, HORNIVS<sup>u</sup>) commemo-ravit, ita ut etiam viros quosdam doctos, qui contrarium perperam sibi persuaserunt, confutaret. Quod vero *108.*

HENR.

*o) Origin. Guelsc. Tom. III. Lib. VII. cap. I. §. 85. p. 106.*

*r) im Grundrisse des allgemeinen deutschen und bairischen Staats-rechtes.*

*p) in conjectura de inuestitura a FRIDERICO I. Abenobarbo Imp. Or-toni M. Wittelsbachio de Ducatu Bauariae facta, in symmictis Obseru. et Opusc. Lib. II. Ien. 1760. 8. Num. XV. p. 173 seq.*

*s) in der kurzen Anzeige der meh-rsten Kaiserlichen Lehn-Briefe auch Antwortbitten und Confirmationen derer Privilegien des Chur und Fürst-lichen Hauses Sachsen Ienae 1757. 4.*

*q) in der kurzgefassten Geschichte der Herzoge von Baiern N. I. Adiect. p. 157.*

*t) in Corp. Iur. Feud. Germ. Tom. II. p. 1790.*

*u) e. l. p. 275. seq.*

HENR. ROESLERVS<sup>1)</sup>) contendit, antiquiori acto litteras investiturae tantum in nouis feudis, contra vero in renouatione antiqui beneficii ad tempora vsque Caroli IV. nullas plane concessas fuisse, id non in vniuersum adfirmari posse, FRIDERVS & rest censuit. Sed veniam ad ea, quae mihi hanc differendi occasionem praebuerunt. Placuit SERENISSIMO atque POTENTISSIMO PRINCIPI FRIDERICO AVGVSTO SAXONIAE DVCI ELECTORI Domino Nostro Clementissimo, Patri Patriae Indulgentissimo munus Professoris iurium Ordinarii in hac Litterarum Vniuersitate benignissime mihi conferre. Postquam enim hoc ipso anno Vir Summe Reuerendus atque Illustris IOHANNES THEOPHILVS SEGERVS abundantissimi ingenii et elegantissimae exquisitissimaeque doctrinae Iuris Consultus, verissimum quondam Academiae Lipsiensis decus morte sua eheu! immatura cathedram Pandectarum vacuefecerat, eaque celeberrimo nostro IOSIAE LVDOVICO ERNESTO PVITTMANNO delata, Institutionum Iustinianarum autem publice tradendarum potestas Illustri Viro AVGVSTO FRIDERICO SCHOTTO data est, ne quintus inter Ordinarios Antecessores, quos vocant antiquae foundationis, locis vacaret; visum est Professionem, quae a Titulis Digestorum de verborum significatione et diuersis regulis iuris antiqui nomen habet, clementissimis codicillis mihi demandare. Cuius muneris auspicia cum rite capienda sint, et publica gratiarum actione honorificissimum ab Indulgentissimo Principe illiusque Amicis Illustrissimis atque Excellentissimis Reipublicae gubernan-

v) in Deduct. Rechtsgegründete Vertheidigung der altherrgebrachten Fraenkischen Lehnsgewohnheit, vermoege deren die Agnati collaterales die Successien in denk Fraenkischen Ju-

wohl alt, als nenen Leben ohne Unterschied ob sie von dem primo acquirenten abstammen oder nicht, auf gleichen Namen, Stammen, Schild und Helm zu behaupten berechtiger seynd p. 17.

**XXVI**

**Bernardae Administris**, quorum auctorati et grauissimae commendationi hanc docendi prouinciam potissimum acceptam fero, iudicium de me et qualibuscunque studiis meis latum praedicari debeat ac celebrari: faciam id more insitutoque maiorum solemniem orationem recitaturus *de meritis Juris Consultorum Lipsiensium in iuris prudentiam publicam*. Dicta est huic officio proxima dies Mercurii. Quoniam vero huius pietatis meae testes quamplurimos cupio, **RECTORUM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMOS atque PRAENOBILISSIMOS COMMILITONES** et denique omnes litterarum fautores, ut dicenti mihi frequentes adfint, et pro Optimis PRINCIPIS totiusque Electoralis Domus incolumitate atque prosperitate vota nuncupantem bonis omnibus prosequantur, vehementer et maximis precibus rogo atque oro. Scripsi in Lipsica Litterarum Vniversitate Dominica III. Aduentus I. Chr. A. c*ccccc*lxxxvi.

---

**LIPSIAE**

**EX OFFICINA KLAUBARTHIA.**

---


Leipzig, Diss; 1786 K-2



f

56.





DE  
LITTERARVM INVESTITVRAE  
CAVSSIS ET PRIMA ORIGINE

---

ORATIONI SOLEMNI  
QVA NOVVM MVNVS ADIBIT  
IN AVDITORIO IVRIS CONSVLTORVM

A. D. XX. DECEMBER. A. C. CCCLXXXVI  
HORA IX. RECITANDAE PRAEMISIT  
D. CHRISTIANVS RAV

ZVHALLE

